



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Doctrinae Saxoniarvm Ecclesiarvm, Scripta
Anno Domini M. D. LI. Vt Synodo Tridentinae Exhiberetvr**

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1554

VD16 C 4808

De Nova Obedientia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35345

Iagianos & Manichæos, ut hæc suo loco
copiosius explicamus.

DE NOVA OBEDIENTIA.

Totum beneficium filij Dei consideran-
dum est, Ita enim uult peccatum &
mortem tollere, & nos ex regno diaboli
eripere, ut prorsus abolito peccato & de-
leta morte, restituat in nobis æternam ui-
tam, in qua Deus nobis communicet sapi-
entiam, iusticiam, & læticiam suam, & in
qua sit Deus omnia in omnibus.

Hoc sumimum beneficium incoat in hac
misera massa, in hac uita, sicut scriptum est:
Superinduemur, si tamen non nudi reperi-^{2. Cor. 5}
emur. Item, Qui perseverauerit usque in fi-^{Mat. 10}
nem, hic saluus erit. Itaque cum accipimus
remissionem peccatorum, & reconciliati su-
mus, & ob signati Spiritu sancto, hæc bo-
na effundere horrendus furor est: sicut de-
scribuntur effundentes, in parabola de do-
mo mundata. Et in 2. epistola Petri dici-
tur: Si hi qui effugerunt contaminationes
mundi, per agnitionem Domini & salua-
toris IESV Christi, his rursus impliciti
succumbunt, fiunt eis postrema deteriora
prioribus. Effun-

Effunduntur autem haec bona, si quis non
retinet fundamentum, id est, articulos fidei,
sive sciens, sive deceptus, impia dogmata,
seu idola recipit. Item, si quis alioqui con-
tra conscientiam ruit. Haec regulæ saepere
Gal. 5. petitæ sunt, ut Galat. 5. Qui talia faciunt,
regnum Dei non possidebunt. Neces-
saria est igitur cura uitandi tales lapsus.

Haec manifesta necessitas; proposita
summa poena, uidelicet amissione vita
æternæ, si quos non mouet ad bene operan-
dum, hi sunt iam ex his de quibus dicitur:

1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Item,
Si quis Spiritum Christi non habet, hic
non est eius. Et sunt necessitatis causæ
plures. Debitum, id est, ordo immutabi-
lis, ut creaturæ Deo obtemperent: ideo

Rom. 8. Paulus inquit, Debitores estis. Item, ne
Spiritus sanctus & fides excutiantur. Ac-
cedat & cura uitandi poenas præsentes.
Quia certissimum est, plurimos etiā elec-

Mich. 7. torum lapsus, horribiliter puniri in hac vi-
ta, ut inquit Ecclesia apud Micheam: Irā
Domini portabo, quia peccavi ei.

Et omnium temporū historiæ horren-
da exempla poenarum continent: ut Da-

uid,

uid, Solomō, Manasses, Iosias, Nabuchodonosor, & alij innumerabiles duriter castigati sunt. Qua in re hoc tristissimum est, quod in ipsis pœnis multa noua peccata cumulantur: ut in seditione mota contra Dauidem, in dilaceratione regni propter delictum Solomonis. Et de necessitate bene operandi, inquit Dominus: Ni si abundauerit iusticia uestra plus quam Phariseorum, non intrabitis in regnum coelorum. Considerata autem necessitate, quæ multiplex est, sequuntur haec quæstiones: Quæ opera sint facienda: quomodo fieri possint: quomodo placeat Deo: quæ habeant præmia: quod sit discriminem peccatorum, quæ excutiunt Spiritum sanctum, & quæ non excutiunt.

Matt. 9

QVAE OPERA SINT
FACIENDA.

Vult Deus & fidem & opera regi suo uerbo. Ideo tenenda est norma de bonis operibus, interioribus & exterioribus, quæ in istis præceptis Dei continetur, quæ ad nos pertinent, sicut Ezechielis 23. dicitur: In præceptis meis ambulate. Et haec opera interiora & exteriora fiunt cultus Dei,

Ezecl. 23